

www.e-rara.ch

Ministerium solennis expiationum diei

Hottinger, Johann Heinrich

Tiguri, an. 1754

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 7.87

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-93086>

Mysterium solennis expiationum diei.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

* * * * *
* * * * *

MYSTERIUM

Solennis Expiationum Diei.

§. 564. *Tandem ad rem ipsam.* Labor, isque fatis molestus in inveniendi, dijudicando ac probando sensu Legum Mosaicarum, quæ de solenni Ministerio Diei Expiationum agunt, literalis *umbrosus* nonnisi est. Certe indignus, qui exerceat interpretes per longius tempus, nisi nobile depingeret *corpus ex umbra* rite picta tuto dignoscendum. Æstimamus picturas, umbras, quæ personas aut res nobis charissimas & æstimatas recte referunt. Quanto ergo majori pretio habemus umbras sapientissimi Numinis sive Leges ceremoniales, quæ Deum, præprimis Filium Dei, Jesum Christum, ejus personam, naturas, status, munera, beneficia, fervos & fideles, admirando adumbrant penicillo. Hinc in sacris veniunt sub ὑποδείγματι, σκιά, re, quæ aliam maximi momenti latentem considerandam sistit, docet ac promittit. v. Hebr. VIII. 5. IX. 23. X. 1. Coloss. II. 7. Quando vero inter omnes umbras divinas nulla ad excellentiam hujus, quam tractamus, assurgit, operæ pretium me fecisse puto, quando non sine cura omnes ejus lineas, etiam lineolas, distincte notavi, alienas quoque delevi. Res se habet cum pictura hac divina, quemadmodum cum artificiali humana. Pictor peccat tum omittendo, quod personam ab alia distinguit, tum addendo, quod ab ea abest. Persona enim, quæ repræsentanda, ita vel non dignosci potest, vel fingitur alia. Hæc ipsa studio sunt evitanda in studiis typicis. Quare exercitior in iis veniam mihi dabit haud raro minutiores circumstantias, ut videntur, longiori indagine scrutanti. Una litera vel omissa vel ficta mutilum sistit *Mysterium* vel etiam detorquet. Sume exemplum: Qui statuunt Pontificem cum vestibus aureis hac die sanctissimum intrasse, atque hunc introitum mysticum habent, non possunt non errare; Non enim aureis vestibus indutus locum sanctissimum ingressus erat. Hujus generis plura deducta reperies.

§. 565. Mysterium, quod nunc eruendum est, eruam *σὺν Θεῷ* sequentem in modum: Primo generatim probabo: *Ministerio solennis Expiationis Diei decima tisri inesse Mysterium.* Tunc specialius ostendam, *quanam non contineant διλωσιν πνευματικὴν.* Præterea *quanam hanc contineant & vere mystica sint.* Denique addam *Tabellas comparationum & differitarum.*

§. 566. Generale argumentum, quo Mysterium hujus solennis expiationis probo, hoc est: *Omne, quod certos characteres veri typi continet est Mysterium.* Typus enim est persona vel res in sensus incurrens, quam Deus speciatim instituit, ut mediantibus similitudinibus personam vel rem majoris momenti referret, doceret, promitteret, obsignaret ac etiam traderet.

§. 567. Ministerium vero solennis Expiationis tales plures & varios veri typi characteres habet. Primus: *Lex ceremonialis, quam ipse Spiritus S. alibi in Scriptura disertis verbis mysticam habet, explicat, deducit, talis revera est.* Jam vero Spiritus S. qui certissimus verborum suorum interpretis est, hanc Legem ceu mysticam sæpius allegat, ejusque docet Mysterium. Constat ex Epistola ad Hebræos Cap. IX. 11. 12. *Christus accedens, Pontifex futurorum honorum per majus & perfectius Tabernaculum, non manufactum, hoc est, non hujus structura; Neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, per proprium vero sanguinem ingressus est semel in sancta, aeterna redemptione reperta.* Dein v. 24. *Non enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* Cap. X. 19. 20. *Cum igitur habemus libertatem intrandi in sancta in sanguine Jesu, ceu via, quam vobis dedicavit novam & vivam per velum, hoc est, carnem ejus.* Cap. XIII. 11. 12. 13. *Quorum animalium sanguis (sacrificiorum) pro peccato in sancta per Pontificem illatus erat, horum corpora extra castra comburebantur. Quare & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, extra portam passus est. Igitur exeamus ad eum extra castra opprobrium ejus ferentes. Ne alia conquiram. Vel tyro hoc in studio judicabit, auctorem hujus Epistolæ in Mysterio tradendo clare respicere ad Aharonem & quidem solum unica die sacra piacularia offerentem, suffitum coram facie Dei adolentem, sanguinem in sanctissimum inferentem, ad Sacerdotes corpora extra castra comburentes, ut Israel remissionem peccatorum consequatur & sanctificetur.*

§. 568.

§. 568. *Secundus*: Tota lex ritualis typica vel mystica est. Habet enim *Σκιά* umbram futurorum bonorum in corpore Jesu Christo Hebr. X. 1. Cibus, potus reliqua sunt *σκιά* umbra futurorum, corpus vero Christi Coloss. II. 16. 17. Quod vero valet de toto, valet quoque de parte, maxime præcipua. Legem de Ministerio Diei Expiationis partem esse, eamque præcipuam, nemo, ut puto, negabit. Vel unicum Caput XVI. in Levitico clarissime docet. Pauci ritus integro traduntur Capite. Typus est lex de noviluniis Coloss. II. 16. 17. quanto magis Ministerium Diei Expiationum fusc & sæpius præscriptum.

§. 569. *Tertius*: Pontifex V. T. ejusque communes functiones, ut oblationes, mactationes victimarum, speciatim piacularium, spargiones & effusiones sanguinis ad remissionem peccatorum & purgationem, incensiones suffitus, sunt typica. Unde Jesus Christus toties vocatur Pontifex Hebr. III. 1. IV. 15. sistitur seipsum obtulisse, tradidisse in mortem Tit. II. 14. Hebr. IX. 14. animam sacrificium pro reatu posuisse Jes. LIII. 10. expiasse 1. Joh. II. 2. in sanguine ejus habere nos peccatorum remissionem Eph. I. 7. purgationem 1. Joh. I. 7. suffire eum vel intercedere pro nobis Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25. 1. Joh. II. 1. Hinc sequitur, quod Pontifex, ejusque functiones speciales, illustriores, solennes, propitiations Israelis typicae sint.

§. 570. *Quartus*: Persona vel res, quæ habet figuræ nomen, typica est. Vel quare alias figuræ nomen haberet? Messias dicitur David Hos. III. 5. Christus dicitur agnus paschalis 1. Cor. V. 7. Nescio enim aliam solidam rationem, quam quia David Filius Isai, agnus paschalis Salvatoris nostri typus erant. Pariter se res habet cum voce *ἰλασῆριον*. Paulus ait: Deus proposuit Christum *ἰλασῆριον* & quidem in sanguine ad demonstrationem justitiæ propter remissionem peccatorum Rom. III. 25. Hoc vero nomine venit *כפרת* operculum propitiatorium in sanctissimo, quod arcam texerat. LXX. vertunt per *ἰλασῆριον*. Ita quoque vertit Scriptor divinus Hebr. IX. 5. Quare vero Christus hoc nomine venit? Quia operculum propitiatorium typice propitiationem Christi referre debuerat. Et quod notandum, speciatim ut consideratum in Die Expiationis. Sola hac die erat propitiatorium *ἐν τῷ αἵματι* Levit. XVI. 14. 15. Pontifici per totum annum prohibitum erat in sanctissimum ingredi, tum singulariter sparsione sanguinis supra propitiatorium & coram eo demonstrabatur justitia Dei ad remissionem peccatorum.

§. 571. *Quintus* : Ministerium Diei Expiationis in se & absque typo consideratum Deo Spiritu sapientissimo, sanctissimo, candido prorsus indignum est, indignum quoque Pontificibus, Ministris Dei. Etiam Israele, populo Dei peculiari. Vel perpende Leges hujus Ministerii externas, corporales, carnales, certis personis, sacrificiis, locis, tempore, modis &c. curatissime circumscriptas, semel ac iterum iteratas, veluti de modo intrandi in sanctissimum, cum vestibus definiti numeri, materiæ, speciei, corpore bene loto ac aquis immerso, victimis tum pro Sacerdotio, tum pro populo specificè determinatis, earum mactatione, sanguinis exceptione, illatione, varia asperione, commixtione, colligendis prunis, thure pugillo capiando, adolitione, extorum in ara, combustione cadaverum extra castra, altero hirco in libertatem mittendo, interveniente certo viro, ejusque juribus, ut & juribus cadavera exportantium, comburentium, pariter de officiis totius Israel communibus severe & sub excidio inculcatis, quiete & jejunio ad consequendam universalem remissionem peccatorum. Hæc & tot alia Die Expiationum præcepta an per se Deo digna? An externe observata Deo sunt grata? Minime. Deus, qui toties externum ejusmodi cultum rejicit, detestatur Psal. L. 7 - 14. Jes. I. 11 - 16. Jer. VII. 21 - 24. Mich. VI. 6 - 9. & tot aliis in locis sibi non contradicit. An in his vera ratio peccata totius populi remittendi? An Pontifices, Sacerdotes, Israelitæ his externis actibus evadebant meliores, sanctiores, sapientiores? Certe non, Hypocritæ, infideles, pessimi talia externa æque ac veri, fideles, boni suscipere & præstare queunt. Minime mirum homines, qui judicio pollent, etiam Gentiles talem *ἀλογον*, carnalem, cruentum cultum spernere, Judæos externos his captos valde rudes & stolidos habere. Mysterium est anima ceremoniarum, speciatim Ministerii expiationis. Mysterio cognito Deus Israelis cognoscitur Spiritus sapientissimus, sanctus, justus, gratiofus, misericors, candidus, liberrimus. Populus, qui Mysterium perspicit, peculium Dei spirituale, sapiens, sanctum, fidele. Mysterium hoc complectitur rationes divinæ originis, & ornat religionem Dei.

§. 572. *Unus ex citatis characteribus jam probat sensum mysticum Ministerii quod explicamus. Conjunctim sumti secum ferunt fortissimum pro Mysterio solennis Expiationis argumentum. Unde Christiani, qui varie de rebus Religionis judicant, generatim conveniunt in agnoscendo*

scendo & confitendo hujus Thematis sensu mystico. Illi ipsi, qui ægre Christum & ejus beneficia in legibus ritualibus adumbrata credunt, concedunt tamen & cernunt ac tanta luce expiationis solennis vel inviti perfunduntur, ut Mysterium ei inesse fateri cogantur. Ex pluribus duos tantum allegabo: Philippum à Limborch & Johannem Spencerum. Illum in *Theol. Christianæ* L. III. C. IX. 4. his verbis testantem: *Sacerdos summus seu Pontifex maximus typum gessit Pontificis nostri æterni Jesu Christi; Et speciatim ingressu in Sancta Sanctorum ad expiandum peccata adumbravit ingressum Jesu Christi in cæleste sacrarium per proprium sanguinem, ut æternam expiationem perficiat* Hebr. IX. 24. 25. 26. Hunc vero sequentibus in *Legibus Hebræorum Rit.* L. III. Dissert. VIII. C. IX. p. m. 502. *Cum expiatio sanguinis asperione facta & hircus in quem populi peccata transferebantur imaginem Christi peccata nostra ferentis & expiantis tam vivam & pene loquacem præferant, ipsa ratio monet, ut ritus eos & alios Christi prophetias reales fuisset, & ob rationes tantum evangelicas institutos existimemus. Lubens agnosco -- Legem Mosaicam umbram futurorum habuisse.*

§. 573. Argumentis ergo evictum est Aharonem & totum Israeliem die decima titri futura prædixisse & promississe bona spiritualia. Sed nunc peragamus scrutari: An tota illa historia, quæ Ministerium Diei Expiationis in præmissio sensu literalis continet, mystica sit? Vel an pars ejus tantum & quænam? A Mysterio primo excludendi sunt omnes literæ sensus in Lege non fundati & ab interpretibus Christianis ficti. Non enim datur verus typus, quem legislator non instituit. Veluti quando nonnulli Christiani Mysterium quærunt in Pallio cum Tintinnabulis & Malogranatis Pontificis hac die sanctissimum intrantis. Probavimus vero §. 59 - 66. Pontificem absque hac veste intrasse. Excludendi dein omnes ritus & actus novis Synedrii vel Pontificum constitutionibus inventi, introductique. Quo referimus comitatum ejus, qui hircum in desertum duxerat, tabernacula in via exstructa, formam & speciem auri, ex quo thuribulum constiterat, ac tot alia. Ecclesia nullam habet potestatem typos, qui sacramenti naturam habent, instituendi, futura, promissiones spirituales in sola Dei manu stant. Excludendi tertio quam maxime ritus Legi divinæ contrarii, qualis est præcipitatio hirci de rupe, quæ posteriori tempore obtigit. Hircus enim hic ex voluntate legislatoris in libertatem mittendus erat,

minime præcipitandus. Excludendi quarto & ultimo actus inscitia & malitia hominum contra intentionem Dei facti, qualis vellitationes, exspuitiones sive hirci, sive ducis, de quibus §. 347. 348. Comparationes etiam argutæ nihil probant deficiente natura typi. Ingenium & phantasia hominis facillime comparat.

§. 574. Quæ ergo in Ministerio Expiationis typica recte habentur? Leges divinæ claris verbis datæ, veluti de duobus hircis, uno mactando, altero vivo dimittendo Lev. XVI. 7-11. 15, 21. 22. suffitu v. 12. 13. aspersio in sanctissimo, sancto v. 14 - 21. combustione cadaverum v. 27. & aliis consimilibus. Dein ritus & actus non quidem disertis verbis memorati, qui tamen continentur in virtute horum. Quæ enim ratio aliarum partium verbi divini, eadem typicæ. At aliæ partes gaudent virtute certarum consequentiarum, quæ non minus pro verbo Dei habentur, quam expressa verba. Nolo argumentis probare, quæ extra controversiam posita sunt. Hinc nunc recte argumentor pro jure ejusmodi consequentiarum in parte typica. Attentior lector reperiet legislatorem ceremoniarum sæpius brevitati studere, eas non plane recensere, non omnem & specialem rituum historiam tradere, præsupponere quod plura subintelligenda sint, ceu necessaria ad actum, de quo sermo: Aut omitti hoc in loco, quæ in alio deducta sunt. Sensus literalis hujus capituli plura dabit exempla. Sufficiat unicum exemplum. Capite hoc v. 11. 14. fit mentio juveni mactati, sanguinis ad spargendum sumti & sparsi, non illati in sanctissimum. Nihilo minus nemo dubitat de illatione ejus. Insuper typica sunt, quæ posteriori tempore mutata, quæ tamen exacte respondent legibus divinis, ut illæ exstant in Mose. Ab initio cadavera extra castra exportabantur ac comburebantur v. 27. sed postea extra Hierosolymam. Quare unum idemque *extra castra & extra Hierosolymam* quod clare scimus ex Hebr. XIII. 11. 12. 13. Quæ hoc capite expresse dicuntur de Aharone v. 2. 3. Tabernaculo conventus v. 16. valent de omni Pontifice, Templo. Imo sparsio typica, quæ stante Tabernaculo & Templo I. coram arca erat facta, talis quoque typica sub Templo II. nulla arca præsentem. Quod absque culpa hominum abest, non tollit cultum, vel impedit gratiam Dei.

§. 575. Ut deductio sensus mystici, quæ nunc sequitur, majorem reperiat fidem, duo extrema evitabo. Illorum, qui animum
tenent

tenent aversum à mysteriis typorum, ridentque albis dentibus cultores eorum, eosque simplices, credulos, phantasticos habent. Horum quoque, qui solis capiuntur comparationibus figuræ & figurati, nulla habita ratione concinni connexus aut specialium argumentorum. Medium ingredior declinaturus & vitium incredulitatis & phantasiæ à iudicio non rectæ. Quare præter generalia fundamenta solennis expiationis mysticæ, quæ supra §. 566. - 573. produxi, præteram specialiora circa singulares Leges ac ritus, qui plures & varii à Mose notati sunt. Quando opus vel juvat, memorabo etiam aliorum cogitata ac ea examinabo. Si observavero Mysterium speciale minus apte cum aliis cohærere aut materiam ridendi hostibus hujus studii dare, potius transibo. Si enim verum, quod Paulus ait: *Ex parte cognoscimus; Ex parte prophetamus*, id verissimum de typis, ceu parte scripturæ difficiliore, prophetica. Plura hoc in studio docte ignoramus, ac interea exspectamus novum cœleste lumen. Quæritur igitur

§. 576. Primo: *Quis mandatum de solenni expiatione dederit & quo modo legislator menti sit sistendus?* Resp. Ipse Jehova præcepit Levit. XVI. 2. 34. Id quod probe tenendum. Hostes Theologiæ typicæ opinantur constare eam sterilibus nonnisi ordinationibus, ab initio haud datis ad futura prædicendum, promittendum. Quin Deum condescendisse ad ineptos mores & propensiones populi Israel in cultu externo more vicinarum gentium; Allegorias vel accommodationes postea hisce additas. Non mirum ita opinantes sinistre de ceremoniis sacris cogitare. Recte igitur observamus Jehovam Spiritum sapientissimum, sanctissimum, optimum, misericordem, liberrimum Legis hujus esse auctorem. Et quidem non ad preces populi aut præfectorum. Ipse gravibus rationibus commotus solennem annuam præscripserat expiationem ac Israellem eo non propendentem severis Legibus obligaverat. Lev. XXIII. 29. 30. Specialius notandum, quod legislator commode habeatur Deus Pater ac Spiritus S. Ille, utpote Filius Patris ordinatione Pontifex constitutus, ut caro factus se ipsum pro peccatoribus traderet 1 Pet. I. 10. Joh. III. 16. Hic vero ob Hebr. IX. 7. 8. *Secundum vel sanctissimum intravit semel quotannis solus Pontifex non sine sanguine, quem offert pro seipso & pro populi ignorantibus.* Τοῦτο δηλοῦντος τῆ πνεύματος τοῦ ἁγίου hoc manifestante Spiritu S. nondum manifestatam esse sanctorum viam
ad huc

adhuc priore Tabernaculo consistente. Qui igitur sub N. T. mysteria regni cœlorum docent, filium glorificant Eph. I. 18. 19. Joh. XVI. 13. 14. jam sub vetere arcana gratiæ in Messia indicarant. Si fidei animo tantum legislatorem obſignamus, facile credimus ceremonias has spirituales, sapiens, sanctas esse, promittere mortem & resurrectionem Messia, peccatorum remissionem, purificationem omnibus resipiscentibus & credentibus, non vero externas tantum corporales, carnales & inanes habebimus. Talia de Jehova non sine contemptu cogitantur. Quæritur

§. 577. Secundo : *An Moses, eo quod ejus mentio hoc in mysterio ut Lev. XVI. 1. 2. 34. fit, etiam spectandus sit, referens Christum expiatorem peccatorum ?* Resp. Proprie non. Unde N. Testamentum, in quo Mysterium hoc explicatur, Mosis cum respectu ad hunc typum non meminit. Aharon frater ejus typicam personam egerat. Moses considerandus ceu servus Jehovæ divinum ferens mandatum de expiatione adumbranda. Lex hæc data per Mosen ad indicandum, quod violata gratiam Dei & remissionem peccatorum deneget, nisi intercedat mors vicaria, conjunctaque sit resipiscentia & fides. Atque ita erat Moses Pædagogus ad Christum. Quæritur

§. 578. Tertio : *An Aharon frater Mosis Christum reconciliatorem mundi typice expresserit ?* Resp. Omnino : Clare testante Epistola ad Hebræos, Jesum Christum non solum Ἀρχιερέα cum respectu ad Pontificem V. Testamenti nominante sed & eum sistente sub functionibus sacerdotalibus Die Expiationis Hebr. III. 1. IX. 14. IX. 7. 11. Unde plures comparationes inter Aharonem & Pontificem Jesum Christum commode instituuntur, de quibus vero inferius in tabellis comparationum. Minime obstat magnam esse differentiam inter Aharonem Pontificem V. Testamenti & Jesum Christum Pontificem N. Testamenti. Poscit hoc natura typorum & antitypi. Imo concedimus etiam oppositionem. De his vero suo loco. Quæritur

§. 579. Quarto : *An præparatio Pontificis ad Ministerium solennis Expiationis fuerit typica ?* Resp. Distinguo. Præparatio, quæ noviter instituta & cujus causa erat Pontificum ignorantia, ruditas, suspecta fides, de qua supra §. 453 - 461. typica esse nequit. At typica recte habetur, quam grave Ministerium postulaverat, licet disertis
verbis

verbis non exprimat v. supra §. 574. Sine dubio Aharon serio perpendebat instantes functiones, seque ad eas parabat. Cui respondet frequens cogitatio ac etiam discursus Pontificis Jesu Christi de instantibus passionibus ac morte sua, maxime ultimis ejus diebus, in quibus Hierosolymam ascenderat seipsum manibus hostium traditurus. Quæritur

§. 580. Quinto : *An ansa hujus solennitatis μυσμῶς spectanda ?* Ansa autem erat illegitima appropinquatio filiorum Aharonis, Nadab & Abihu, ad cultum Dei Lev. XVI. 1. Resp. Non videtur. 1. Novum Test. speciatim Epistola ad Hebræos nullum ejus præbet indicium. 2. Nec video congruum typum. Nimis coactum videtur dicere Nadab & Abihu protoplastos peccantes vel totum genus humanum peccatis obnoxium ita stitisse, ut quemadmodum lex de expiatione typica lata est filiis Aharonis peccantibus ; Sic vera expiatio Jesus Christus consilio Dei tum fuerit ordinata, quando protoplasti peccaverant, vel peccatum in mundum intraverat. Talia typica minus sunt accepta, quo magis solido carent fundamento ac longissime petita sunt, oriunturque à luxurianti ingenio, quod nullos habet limites. Quæritur

§. 581. Sexto : *An locus interior à Mose descriptus inter velum versus propitiatorium, quod supra arcam Lev. XVI. 2. Mystrium contineat & quodnam ?* Resp. Certissime Mystrium continet, testante Apostolo Hebr. IX. 7. 8. 11. 12. 24. X. 19. 20. IV. 14. 16. VII. 26. Mystrium vero est cœlum summum ob peccata nostra, exigente iustitia & sanctitate Numinis clausum, nonnisi aperiendum morte Sponsoris, velo seu carne ejus rupta, sanguineque ad reconciliationem coram oculis sancti Dei sparsa ; Atque ita liber patet introitus ad gratiam cœlestem consequendam. Plenior collatio differetur, donec Tabellæ comparationum dabuntur. Quæritur

§. 582. Septimo : *Quodnam Mystrium insit rationi : Nam in nube apparebo super operculo propitiatorio Lev. XVI. 2. ?* Resp. Generatim docet Deum gloriosum, terribilem, admirabilem, sanctum, nullam habere communionem cum peccatoribus extra Pontificem Messiam & ejus sacrificium. Aliter accedentes lumine cœlesti consumi. Quæritur

§. 583. Octavo : *Quid verba : Hoc modo ingreditur Lev. XVI. 3. mystice significant ?* Resp. Solum Jehovah monstrare viam & media salutis, ἐθελοθρησκείαν, doctrinam salutis ab hominibus inventam Deo displicere. Quare Paulus tenacissime inhæret Evangelio cœlitus nonnisi manifestato. Anathema dicit Angelis, hominibusque aliam viam docentibus Gal. I. 8. Quæritur

§. 584. Nono : *An Aharon Lege obligatus ad offerendum juvenicum filium bovis in sacrificium pro peccato Lev. XVI. 3. personam Messia Pontificis expresserit ?* Resp. Non. Pontifex Jesus Christus erat à nativitate usque ad mortem sanctus, inculpatus & à peccatoribus separatus. Hæc decens qualitas in Pontifice dignissimo semel ac iterum notatur Hebr. VII. 26. IV. 14. 15. Luc. I. 35. Opponitur vero Pontifici V. Testamenti Hebr. VII. 27. V. 3. Hæc circumstantia potius Israelem docebat Aharones haud esse veros mediatores, qui valeant peccatores cum sancto Deo reconciliare ; Quin imo ipsos esse reos ac mortem fuisse promeritos, quorum peccata sanguine sint expianda. Tum demum pro aliis peccatoribus recte intercedere, quando ipsi prius in morte Jesu Christi veniam & gratiam quæsierunt. Quæritur

§. 585. Decimo : *An ergo etiam juvenicus Pontificis Mysterio caruerit, vel quodnam ejus sit Mysterium ?* Resp. Mysterio non caruit more aliorum sacrificiorum piacularium. Generatim certissimum est retulisse Christum περὶ ἀμαρτίας. Specialiter δὴλωσις tamen non liquet. Quando alii putant (1.) *Juvenicum* denotare *fideles* & *electos* ex *Judeis*, *hircum electos* ex *Gentibus* ; Vel (2.) *juvenicum* Christum pro seipso oblationem factum sibi que absolutionem à reatu imposito, gloriam & jus adducendi suos ; *Hircum* vero Christum quatenus venit loco peccatorum aut (3.) *juvenicum* Christum se sistentem Deo, ut *judici*, cui que peccata imposita in monte oliveti ; *Hircum* autem Christum de cruce pendentem ; Vel (4.) denique *juvenicum* Christum ipsum se offerentem, sed *hircum* corpus electorum, qui communionem habent cum passionibus Christi (vid. Cl. Ries. in *Dissert. Theol. de Sacerd. S. ingressu* in S. S. §. XLV.) partim nullam speciem probabilitatis habent, ut prolata ad N. 1. Vel quæ species, quod juvenicus offerendus pro peccatis sacerdotii distincte referat electos ex Judæis ? Pariter ad N. 3. Aliquam speciem habent, quæ exstant ad N. 2. & 4. carent tamen demonstratione vel convenientia typica. Christus non

non indiget oblatione piaculari pro se ; Peccatum quippe non habet. Oblatio piacularis tantum est ob suscepta peccata mundi. Quæritur

§. 586. Undecimo : *An etiam Mysterium insit arieti in Holocaustum v. 3. & quodnam ?* Vide infra Quæst. XXXVIII. §. 629. Quæritur

§. 587. Duodecimo : *An vestitus Pontificis extraordinarius, constans nonnisi ex IV. vestibus, femoralibus, tunica, baltheo & pileo, iisque vilioris speciei lini, quam etiam gregarii gestaverant inter typos numerandus ?* Interdictum enim erat gestatione vestium aurearum, laminæ, ephodi, pectoralis, pallii cum tintinnabulis & malogranatis quando Aharon in sanctissimum hoc die intraverat. v. in Exeges. §. 59-66. Resp. Omnino. Argumenta sunt. Vestitum sacerdotalem in genere mysticum esse docet ipsa Scriptura Psal. CXXXII. 9. 16. Jes. LXI. 10. Apoc. III. 3. 4. Dein speciatim proluxa vestitus pontificalis descriptio Exod. XXVIII. XXIX. Lev. VIII. Vel quæ ratio hujus præcepti vestiarii ? An in se Spiritu sapiente, sancto dignum ? An Pontifex sapientior, sanctior & Deo acceptior vestium numero, pretio ? Certe non. Solum Mysterium commendat hanc Legem. Si vero vestitus Sacerdotum in genere mysticus ; Si mysticus pontificalis ordinarius, quare non extraordinarius & qui tantum Die Expiationis solenni, imo illa die in solis solennibus expiationibus gestandus erat ? Nulla ratio præter Mysterium dari potest, quare sapiens legislator Legem dederit de vestitu in solennioribus expiationibus mutando. Deus Spiritus sapiens per se non curat, qua veste ministri vestiti incedant. At hic mandat de certis vestibus, numero quatuor, lineis gestandis v. 4. Imo postea mandat, ut hic vestitus hirco emissario in desertum misso & expiatione solenni finita seponatur ac vestitus magnificus induatur v. 23. 24. Quare ? Quum tamen sæpius obtingat, ut laceris vestibus vestitus Deo existat carissimum caput ; Sed splendido detestabilis in oculis ejus sit vid. Luc. XVI. 19. 20. Act. XII. 21. Quæritur

§. 588. Decimo tertio : *Quodnam ergo Mysterium insit extraordinario huic vestitui Pontificali Lev. XVI. 4. ?* Resp. Cultores studii typici variant. Quare, cœu in themate difficiliore, primo varia iudicia proferam. Tum vero ἐπιτιμωσιον subjungam.

§. 589. In eo communiter conveniunt vestitum hunc extraordinarium figuram præbuisse extremæ Jesu Christi exinanitionis ac purissimæ innocentia. Nulla tum fulserat gloria. Tecta erat & valde occultata divinitatis Jesu Christi gloria, sponse ad terram prostrato, tristissimo, à Deo deserto, mortuo, sanguine ejus effuso, ut legimus apud *Ainsworth* in Lev. XVI. 4. *Ries* in *Diff. cit. Langium* in *Bezaleel* p. 236. *Braunium* de *Vestitu Sacerd.* P. II. p. 937.

Alia peculiaria habent; Primus, secundus & quartus citatus. Ille l. c. confert Ezech. XLIV. 17. & addit: *Contineri prophetiam de statu Ecclesiae sub Evangelio; Ministros Novi Test. non aliter vestiendos, quam in Die Expiationis. Hoc arcanum nobis revelari 2. Cor. V. 19. At iste. Christus offerendo sacrificium suum apparebat sub mortuorum habitu. Habitus enim albus etiam mortuorum erat, qui sindone involvi solebant. Verum hic; Indignum igitur fuisset, si Pontifex in ejusmodi pompa & ornatu mundano ad Deum accedere ausus fuisset. Omnis enim pompa & gloria elatum animum superbiamque notat. Observatio prima non placet. Mysterii ratio danda, quæ spectat Pontificem, non Sacerdotes gregarios, de quibus Ezech. XLIV. 17. Non secunda. Sacerdotes jugiter albas gestarunt vestes, qui vero mortuos non retulerant. Vestes albæ & magnatibus Judæorum in honore habebantur. Nec etiam tertia. Pontifex quotidie etiam ipso Die Expiationis ex mandato divino gloriosum vestitum induerat, sed absque fastu, saltem in relatione ad Mysterium.*

§. 590. Placet vero Mysterium hujus extraordinarii vestitus supra §. 589. Viris doctissimis, de sensu mystico meritissimis comune, quod nonnihil deducam. Attendendum primo ad qualitatem personæ, quam Pontifex vili habitu repræsentaverat. Obversatur Deus non solum ut gloriosus, sed insuper ut justus Judex maledictionem & mortem hostiæ vicariæ inferens. Attendendum secundo ad functionem & scopum Pontificis, qui erat gratiam pro se & populo in sanguine sacrificii demississime petere. His in circumstantiis constitutus commode seposuerat vestes gloriosas, pontificales, regias, muneris prophetici, evangelici testes, gestaverat vero viles, lineas, viliores lineis Sacerdotum gregariorum, candidas tamen. Typice ita sistebatur Jesus Christus summe exinanitus, in summa tamen innocentia omnem, quam habuerat, gloriam abnegans. Tempore, quo sanctum & justum Deum morte glorificaverat, gratiam &

& promissa pro se & populo humillime petierat, noluerat comparere ceu Pontifex consummatus, Rex coronatus & publicus gratiæ jam datæ præco. Morte vicaria perlata demum à Patre Pontifex consummatus Hebr. I. 3. VIII. 1. Rex gloriosus Jes. LIII. 10. Act. II. 36. Phil. II. 8 - 12. summus Ecclesiæ Doctor ac Dominus constitutus declaratusque est Matth. XXVIII. 18. 19. Eph. IV. 10 - 13. Quam humilis exutus omni auctoritate, splendore, & omni eo, quod oculis placet, fuerit, testatur tota ejus vita Matth. VIII. 20. maxime tamen ejus finis, humiliatio usque ad mortem crucis, qua coronidem expiationi peccatorum imposuerat, poscente verbo prophetico, speciatim Jes. LIII. 5. Tum enim anima tristissima in faciem coram Deo Judice prolapsus erat, corpus ejus varie affligebatur, contemnebatur, lacerabatur, cruci affigebatur, ludibrio erat ipse habitus ejus, toties exutus, cum sarcastice splendida purpurea commutatus, tandem contumeliose ablati & forte ludicra inter milites romanos distributus. Certe vilissimus habitus, fratribus gregariis vilior. Quæritur

§. 591. Decimo quarto: *An lotiones, immersiones, ad quas Aharon expiaturus obstringebatur, typi naturam habuerint, & quæ ejus ἀλῶσις?* Resp. Distinguo. Aharon, quatenus impurus, qui purificatione indiget, referre nequit eum, qui ab utero & per totam vitam sanctus purusque erat. Quin clare docuit, se haud esse Pontificem Dei, qui impuros vere mundare valet. At Aharon bene lotus ac ita purus Christum sanctissimum retulerat. Quæritur

§. 592. Decimo quinto: *An uterque hircus typicus habendus sit Lev. XVI. 4.?* Resp. Sine ullo dubio. Omnium Christianorum consensu typicus est ille hircus, qui forte ad mortem destinatus, cujusque sanguis in sanctissimum illatus, cujus quoque cadaver extra castra exportatum, Apostolo speciatim docente Hebr. IX. 12. 13. 14. XIII. 11. 12. Ergo typicus quoque alter, ceu socius conjunctissimus, una datus in sacrificium pro peccato. Una ergo cooperabantur ad tollendum peccata populi. Fata, quæ huic subeunda, æque sortilegio divino destinabantur, manus quoque huic impositæ, ceu peccata Israelis publica confessione imputata, ut ea vivus exportaret in desertum. Talia nos minime dubitare sinunt etiam hunc hircum typicum esse habendum. Quæritur

§. 593. Decimo sexto : *Quenam δύλωσις πνευματικὴ comprehendatur hirco maclato, sanguine ejus in sanctissimum illato & cadavere ejus extra castra combusto ?* Resp. Mors Jesu Christi peccata totius mundi fulcipientis (qui hinc sub hirco, animali falaci ac foetido commode fisti poterat) cujus sanguis coram oculis sancti Dei, justis iudicis in caelo sparsus & corpus ira divina extra Hierosolyman consumptum erat. Quoniam circa hoc Mysterium Christiani interpretes consentiunt, alia addere nolo. Plura dabit plenior comparatio typi hujus & antitypi in tabellis, quæ subjicientur.

Quæritur

§. 594. Decimo septimo : *Quenam insit δύλωσις πνευματικὴ hirco vivo ad Azazel missio ?* Resp. Quantus consensus circa Mysterium prioris hirci, tantus dissensus circa posterioris. Dissentientes primo citabimus, tum iudicium feremus.

§. 595. Qui dissentiunt, per Azazel intelligunt Satanam, per hircum emissarium populum Israel Diabolo tradendum. Vel per duos hircos intelligunt duplex sacrificium ex duplici sed diverso Sacerdotio, Melchisedeciano & Aharonico, oriundum, Judæos carnales adhærere Aharonico, sed veros Melchisedeciano. Alii subintelligunt genus humanum morte Christi à morte liberum. Alii etiam hoc sub hirco Christum fisti putant, sed varie, intelligentes vel animam ejus, vel duas ejus naturas, vel duplicem *χρῆσιν* Mediatoris, unam erga Deum iudicem, cui satisfaciendum erat per meritum mortis, alteram adversus Diabolum, hostem, cum quo luctandum fuit efficacia vitæ. Vel tandem duplicem statum, mortis & vitæ Jesu Christi, scil. Hircus immolatus typus Christi mortui, sed vivus & liber declaratus ejusdem vivi habetur.

§. 596. *Κατὰ μέρος* Examen instituemus. Ipsi quidem Judæi antiquiores, tum nonnulli Christiani sub Azazel Satanam latere opinantur *V. Exeg.* §. 136. Sed carent solidis probationibus argumentis, imo contrariis premuntur. vid. supra §. 137. 138.

§. 597. Qui vero asserunt sub hirco emissario fisti populum immorigerum Satanæ tradendum, illi ex duplici maxime argumento errant. *Primum* ex dictis patet. Azazel non notat Diabolum. E. Populus fisti nequit traditus Diabolo ceu Azazeli. *Alterum.* Hircus ad Azazel populum immorigerum referre nequit. Nam est alteri

teri simillimus, ad eundem finem destinatus in sacrificium pro peccato Lev, XVI. 5. Sorte ad vitam ordinatus ut alter ad mortem v. 8. 9. 10. Morte socii expiandus v. 10. vid. Exeg. §. 127. Unde socio mortuo & sanguine ejus effuso ceu vivus ferens & auferens peccata totius Israel honorifice libertati restituebatur. Hæc sane imaginem Israelis reprobæ & maledicti non referunt. Minime scopo hujus diei conveniens (scil. expiare universum populum Dei) haberi potest, Deum iratum partem populi Satanæ tradere constituisse. Certe durissima cogitata! V. alia, quæ huc faciunt apud Cl. Witsium in Oecon. Fœderum Dei L. IV. C. VI. §. 63. 64. 65.

§. 598. Duos vero hircos exprimere duplex sacrificium ex diverso Sacerdotio Melchisedeciano & Aharonico oriundum &c. opinio est, si quid judico, quæ omni destituta est colore. Qui hircos coram Deo sistit, qui unum mactavit, alterum vivum in desertum ablegavit, est unus idemque Pontifex, isque Aharonicus. Uterque hircus cesserat ad expiandum Israel. Nullum vestigium Sacerdotii diversi aut carnalium & spiritualium Judæorum.

§. 599. Hircus vivus typus generis humani esse nequit, ut Cyrillus Alexandrinus, notante Marpergero L. cit. p. 295. putaverat. Hoc enim est expiandum, non vero expiat. Genus humanum vel etiam pars ejus minime cum hostia piaculari mundi concurrat ad expiationem 1. Joh. II. 1. 2.

§. 600. Si vero Procopius, eodem Viro Doctissimo notante p. 206. Azazem habet pro typo animæ Christi (ut hæc libera à corpore in morte ad Deum transiit, sed tertia die reversa est) non videtur convenienter figuræ legali judicare. Vel ubi umbra animæ fecedentis & revertentis? Hircus pro Jehova mactatus potius adumbrat animam à corpore abeuntem.

§. 601. Denique hircus ad Azazel admodum incommode imago divinæ Christi naturæ dicitur. Erat enim animal, naturæ corporeæ, visibilis, foetidæ, brutæ, vilis. Quomodo referret Deum, spiritum purissimum, invisibilem, gloriosum, sanctissimum, sapientissimum? Christus ceu Pontifex rectius consideratur Deus, sed ut victima homo Hebr. IX. 14. Psal. CX. 1. 4. Sed

§. 602.

§. 602. Tandem duplicem *χέρι* Mediatoris, quæ pluribus Theologis placet, sub duobus his hircis latere, ideo maxime probare non possum, quia altera *χέρις* referre debet Christum Mediatorem agentem adversus Diabolum hostem, hircum, forte destinatum Azazeli, ut Diabolo in locis solitariis plurimum agenti Matth. XII. 43. vexandus exponeretur, quemadmodum *Cel. Witsius* loquitur in *Oecon. Fæderum* Lib. IV. C. VI. §. 71. 72. Hircus enim hic, ut libertati datus in Lege depingitur, ab omni vexatione, Diaboli maxime, ceu quem vicit, immunis. Azazel, quod in exegefi probatum, Diaboli imago nequaquam est.

§. 603. Mysteriis his rejectis non aliud superesse video, quam quod hircus immolatus Christum mortuum, sed vivus vivum in omnia secula referat, ut plures ex Theologis non solum recentioribus, sed & antiquis judicant. Quando communia sacrificia nonnisi passionem & mortem Christi depinxerant, solenni Expiationis Die, ceu Israeli singulariter proficua, simul depingebatur mors & vita ejus. Erat vero impossibile, ut unum aliquod animal referret status Christi oppositos, mortis & vitæ, quare ex præcepto Dei sapientissimo duo fumendi erant hirci, ceu commodæ delineationes status mortis & vitæ sponsoris ad maximam Israelis consolationem. Argumenta præcipua sunt. *Primum*: Ambo hirci destinati erant *אֶזָזִלִּים* in sacrificium pro peccato, non in sacrificia v. 5. Pariter ac juvenus Pontificis ordinatus *אֶזָזִלִּים* in sacrificium pro peccato v. 3. Unde sequitur, quod unum eundemque antitypum expresserint. Si vero mandandus Jesu Christi typus, tum etiam vivus dimittendus. Nam una dati in sacrificium pro peccato. *Alterum*: Duo hi hirci, qui unum constituerant piaculare, sorte divina opposita fata subire jubebantur, alter mortis, vitæ alter v. 9. 10. Et quod notandum, immolatus morte sua expiare debuerat vitæ destinatum ad expiandum eum v. 10. Hic per responsum divinum *וְנִי* vivus coram facie Dei statim habebatur, non tamen prius libertati dandus, quam altero & mactato & sanguine ejus in sanctissimum ad veniam & purgationem à peccatis illato v. 10. 15. 22. Perquam commode. Christus morte demum lata justificatus est, vivitque in secula seculorum. Act. II. 36.

§. 604. Duo sunt, quæ *Cel. Witsius L. cit.* huic explicationi opponit I. Quod hirco vivo peccata Israelis imponerentur, Christus autem à mor-

mortuis suscitatus & in gloriam introductus sine peccato est Hebr. IX. 28. II. Quod idem ille hircus, ut peccatis onustus, impurus censeretur, adeo ut is, qui eum in desertum duxerat, mundationis indigeret v. 26. In Christo autem resuscitato nulla impuritas vel cogitatione fingi potest. Resp. Hæc quidem speciem habent, sed plenius examinata eam amittunt. Verissimum est hircum, cui peccata imponuntur, ut maledictioni subijciatur, Christum in gloriam introducendum nullatenus adumbrare posse. Sed probe sciendum priori hirco hac sub relatione peccata Israelis fuisse imputata, unde ei moriendum ac sanguis ejus erat effundendus. At posterior notanter חַי & חַיִּים vivus, vivus ille in vita manserat, libertate donatur. Unde sequitur alio longe scopo ei peccata Israelis fuisse imposta, non ad luendum sed ad auferendum, ut in posterum nulla eorum sit recordatio. Id quod commode docet ablegatio in desertum, ad terram excisam. Non ergo peccata suscipiebat luenda, sed morte socii expiata à conspectu Dei auferenda. Qualis pictura conveniens ad sistendum Christum, qui peccata nostra aufert. Quis electos damnet? Nemo. Quare? Christus enim mortuus, $\mu\alpha\lambda\lambda\omicron\nu\ \delta\epsilon\ \eta\mu\acute{\iota}\ \epsilon\upsilon\epsilon\gamma\gamma\epsilon\iota\varsigma$ magis vero etiam, qui resuscitatus est Rom. VIII. 34. In vita ergo Christi maxima peccatorum ablatorum certitudo. Confer quoque Rom. V. 9. 10. Ita se habet. Dux hirci mundatione indiguerat. Sed minime sequitur: Ergo ipse Christus impurus censeretur. Censeretur non nisi peccata expiata à conspectu Dei abscondens Jer. XXXI. 34. Mich. VII. 19. Dux vero, qui Ministrum Evangelii refert, sistitur gratia sanctificationis indigus, occupatus licet circa sanctissimum ac gratiosissimum objectum. Ministri, etiam qui habentur optimi, non sunt puri, ut sci- mus Esajæ Exemplo Jes. VI. 5. Præ aliis misericordia Dei indigent, quod constat ex votis ad Ministros 1. Tim. I. 2. II. I. 2. Tit. I. 4. Misericordia vero præsupponit miseriam peccati. Quæritur

§. 605. Decimo octavo: An Pontifex triplicem peccatorum confessionem edens repræsentavit Pontificem Jesum Christum orantem Joh. XVII. ? Ratio hujus quæstionis est, quod Mischnici tradunt Aharonicos Die Expiationis tres dixisse peccatorum confessiones; Primam ante sortitionem Tr. Joma C. III. §. 8. Alteram post sortitionem Tr. cit. C. IV. §. 2. Tertiam, quando hircus vivus dimittendus Tr. cit. C. VI. §. 2. v. Formulas in Exegefi §. 97. 153. & 316. Huic triplici confessioni respondere nonnulli putant orationem Jesu Christi Pon- tificia-

tificialem Joh. XVII. constantem tribus partibus, oratione pro se à v. 1 - 5. Dein pro Apostolis à v. 9 - 20. Denique pro fidelibus in genere à v. 20. f. Resp. Non. Nam *primo* : Aharon confessus erat propria peccata. At Jesus Christus neque confessus fuerat peccata, neque confiteri poterat. *Secundo* : Jesus Christus glorificationem nominis sui postulaverat innitens glorificationi nominis paterni à se factæ. *Tertio* : Non tam peccata Apostolorum & fidelium confessus fuerat, quam pro iis intercesserat varia beneficia petendo. *Quarto* : Suffitus, qui memoratur Lev. XVI. 12. 13. rectius Christum intercedentem sistit, quam confitentem. Accedit *quinto*, quod confessiones, ut illæ exstant in *Mischna Tract. Joma* speciatim duæ priores C. III. 8. IV. 2. sint instituti ecclesiastici, non divini, adeoque non typicæ. Non enim conveniunt cum Lege divina Lev. XVI. 6. 11. ceu quæ idem expiationis objectum proponit *pro se & domo sua*. At Mischnici distinctum. Ante sortitionem confitetur Pontifex : *Ego & domus mea*. At post sortitionem : *Ego & domus mea & filii Aharon*. Quæritur

§. 606. Decimo nono : *Quid sibi velint sortes projectæ supra duos hircos una destinatos in sacrificium pro peccato, determinantes unius mortem, alterius vitam & libertatem ?* Resp. Ex supra dictis jam constare potest adumbrasse definitum consilium patris, quo unus idemque Salvator mundi sistitur traditus ad mortem & præcognitus ad vitam passionibus ejus consummatis ad plenam remissionem peccatorum pingendam. Quæritur

§. 607. Vigesimo : *Quare hircus, animal vile, male olens, petulans, lascivum, Diabolum alias representans, sit electus, ut Christum, qui sanctus, justus, bonus & sapius sub agno adumbratus, referret.* Contrariari hæc videntur. Resp. Videntur. Non contrariantur. Sapientissimus Deus, qui plura, diversa, imo opposita symbolice depingere intendit, symbola quoque plurima, diversa, opposita eligit. Elucet quam maxime ex picturis Messia. Una vel paucæ picturæ haud sufficissent ad adumbrandum tot & tam diversas *χέσεις* Messia. Unde jam venit sub agno, jam sub leone, jam sub serpente, jam sub hirco, eoque & mactato & vivo. Agnus commode quidem sistit puritatem, mansuetudinem, patientiam Christi, sed non genus humanum peccatis corruptum, cui substituebatur, peccatorum *δυσφημίαν*, petulantiam, similitudinem cum spiritibus impuris. Sapienti igitur

igitur consilio Numinis hirci, ut in genere destinati in sacrificia piacularia publica Num. XXVIII. 15. 22. 30. XXIX. 5. 11. 16. 19. 22. 25. 28. 31. 34. 38. sic in specie in omnium maxime solenne sacrificium piaculare coetus Lev. XVI. 7. ceu quod retulerat verum piaculare suscipiens, ferens, auferens omnes impuritates, pravaricationes omnes, omnia omnino populi peccata. Pictura minus commoda hunc ad finem exstitisset, vel columba aut turtur vel etiam agnus. Commodior longe hircus ad depingendum Sponsorem missum in similitudine carnis peccati, qui cum sacrificio pro peccato peccatum condemnavit Rom. VIII. 3. Certe Christus hirci instar vilissime habebatur peccator & peccatorum patronus Matth. XI. 19. pessime olens, ceu potator vini Matth. I. cit. Violator Sabbathi Joh. V. 16. Blasphemus Matth. XXVI. 65. Pseudopropheta & Pseudomesias, imo ut Dæmon Joh. VIII. 48. 52. Sub hirco olim cultus, saltem ut quidem arbitrantur. Quæritur

§. 608. Vigesimo primo: *An suffitus hujus diei, isque in sanctissimo, mysticus fuerit?* Resp. Utique suffitus ordinarius in sancto erat mysticus. Ergo multo magis extraordinarius simul in sanctissimo talis. Extraordinaria ordinariis potiora sunt. Quotidiana sacrificia typi habent naturam. Multo magis solenni expiationi propria. Quæ vero ratio sacrificiorum, eadem suffitus. Si Mysterium hujus suffitus tollis, tollis simul cultum, qui Deum decet. Tandem reliqui actus & vasa in sanctissimo Mysterium tenuerant. Ergo etiam thuribulum cum suffitu. Tenuerant v. gr. sparsio sanguinis, ut statim dicemus, velum, ara, sanctissimum. Quæritur

§. 609. Vigesimo secundo: *Quæ ergo ἀνάσσις πνευματικὴ suffitus incensi generalis?* Resp. Intercessio apud Deum, ut populo Israel sit propitius, ut sacra, quæ offeruntur, sint accepta. Constat primo ex locis Scripturæ, qualia sunt Psal. CXXI. 2. *Firma, constans sit Oratio mea, suffimentum coram facie tua.* Psalter vocat preces suas *suffimentum*. Quare? Sine dubio, quia suffimentum orationem refert. Suffimentum naturale non ἐὐωδία coram Deo. Est vero oratio. quæ recte se habet. Hæc coram facie Dei certa est constansque. Dein Prov. XXVII. 9. *Oleum & suffimentum exhilarabit Cor.* Ἐν δυνάμει hæc vera sunt de oleo Spiritus & suffimento spirituali. Spiritus S. est *oleum lætitiæ* Psal. XLV. 8. in se & effective. Precatio fidei, quæ exauditur, animam reddit hilarem Joh. XVI. 22. 23.

Clarius constat ex Novo Test. Apoc. V. 8. *Phiala aurea plena suffituum, que sunt ai προσευχαι των αγιων Preces sanctorum.* Conf. Apoc. VIII. 3. 4. Dein Luc. I. 10. *Tota multitudo populi preces fundebat extra hora suffitus.* Ergo quando suffitus incendebatur, preces quoque fundebantur. *Σύστυλα* hæc docet preces repræsentatas fuisse suffitu incenso, in coelum ascendente. Quod respicitur Act. X. 4. *Preces tue ascendunt in conspectum Dei* suffitus instar. Constat secundo ex comparationibus suffitum inter & preces. Aromata minutissime confusa, varia, thuribulo aureo contenta, igne sacro coram Deo incensa, hinc in altum elata precum pontificalium egregiæ sunt figuræ, ut inferius docebit comparatio plenior. Quæritur

§. 610. Vigesimo tertio : *An suffitus extraordinarius in sanctissimo adumbret intercessionem Christi ad dextram Patris exaltati, de qua Rom. VIII. 34. 1. Joh. II. 1. 2. Hebr. VII. 25. An vero intercessionem Christi in statu exinanitionis, maxime in fine vite, de qua Hebr. V. 7. Matth. XXVI. 38. 39. Luc. XXIII. 34. Joh. XVII. ? Resp. Prius negatur, posterius affirmatur.*

§. 611. Negationis rationes sunt. Pontifex suffiturus vestibibus vilis pretii, pedibus nudus, isque stans, hostia piaculari pro populo nondum oblata, sanguine nondum sparso, hirco vivo nondum libertati dato nequit exprimere Pontificem Jesum Christum gloria coronatum, sedentem ad dextram Dei, Regem Ecclesiæ & mundi, virtute sanguinis sui fusi, viventem in æternum.

§. 612. At affirmationis : Pontifex Jesus Christus in diebus carnis exinanitus, contemptus preces fundens ex anima tristissima, maxime tempore emortuali pro se & peccatoribus morte vicaria nondum perlata commode sistebatur ab Aharone dicto modo comparato. v. Hebr. V. 7. Matth. XXVI. 38. 39. XXVII. 46. Luc. XXIII. 34. 36. Joh. XVII.

§. 613. Duo cum specie opponuntur. *Primum* : Suffitus incendebatur in sanctissimo coram facie Dei velo remoto. E. sistitur Christus in cœlo intercedens morte lata, vel, ut Apostolus habet, velo carnis in morte ablato Hebr. X. 19. 20. *Secundum* : Aromata incendebantur juvenco, sacrificio piaculari, jam maclato Lev. XVI. 11. 12. 13. Ergo intercessio, quæ pingitur, post mortem est intelligenda. Resp. Difficultates has agnosco. Minime tamen tanti sunt valoris,

valoris, ut argumenta antecedente §. prolata. Infirmiora cedunt fortioribus. Dein respondemus: Christus ante mortem precans corpore suo nondum quidem erat in coelo, sed anima fide plena, unde exstat Joh. XVII. 1. *Jesus sustulit oculos suos in cælum dixitque: Pater! venit hora; Glorifica Filium tuum. v. 21. Rogo, ut omnes unum sint, quemadmodum tu Pater in me, & ego in te.* Patrem fide tenuerat sibi præsentissimum Matth. XXVI. 39. 42. Verum insuper est: Christus precans in terris nondum plene mortuus, anima adhuc cum corpore unita. Attamen mortuo simillimus. *Anima erat tristissima eius Davæ usque ad mortem.* Matth. XXVI. 42. Exstiterat *ἐν ἀγωνίᾳ* in agone, erat sudor ejus guttarum sanguinis instar in terram descendentium Luc. XXII. 44. Sanguis, in quo vita, magna copia tum flagellatione, tum crucifixione ex corpore ejus emanaverat. Denique fateor juvenum Pontificis ante incensionem fuisse quidem mactatum, non tamen hircum piacularem pro populo. Hujus maxima habenda est ratio. Juvenus nonnisi mactabatur, ut Aharon ad solennem expiationem pararetur dignus. Aromatum incensio faciunda, antequam juveni sanguis in sanctissimum erat inferendus Lev. XVI. 12 - 15. Quæritur

§. 614. Vigesimo quarto: *Quare juvenco mactato non statim sanguis ejus in sanctissimum illatus sparsusque fuerit? Intercesserat quippe incensio aromatum v. 12. 13. At hirco mactato mox sanguis ejus illatus sparsusque fuit.* Resp. Ordine quem lex observat, commendatur gratia & efficacia precum ex ardente veri Mediatoris mente pro sacrificio piaculari, quod Aharon peccator sacrificare debuerat, fusarum. Non prius Pontifici permissum erat sanguinem juveni sui in adytum coram facie Dei inferre, ac hic intercessione acceptus factus. Clara videtur nota Pontificatus Aharonici infirmi, impuri, gratia erat concilianda per submissas fervidasque preces. Intercessione vero unica facta erat copia & sanguinem juveni in sanctissimo spargendi, hircum & mactandi & etiam exceptum sanguinem aspergendi. Suffecerat una precatio valida, non repetenda.

§. 615. Inquirendum nunc in Mysterium sanguinis excepti sparsique. Quando vero jura utriusque sanguinis, juveni & hirci, quæ describuntur v. 14. 15. conveniunt, conjunctim scrutabimur. Quæritur

§. 616. Vigesimo quinto : *Quæ δήλωσις πνευματικῆς sanguinis dicti ?*
 Mysticum enim esse Christiani omnes fatentur, atque etiam ex supra dictis constat. Resp. Sanguinem Christi notat, ut scire licet ex pluribus locis Novi Test. quæ *sanguinis Jesu Christi* cum allusione ad sanguinem victimarum mentionem faciunt, speciatim iis, quæ sequuntur. Rom. III. 25. Deus filium proposuit *ἱλαστήριον* in fide ἐν τῷ αὐτῷ αἵματι in sanguine non juvencorum & hircorum, qui coram propitiatorio sparsus, sed ipsius Christi. 1. Petr. I. 2. ῥαντισμὸς αἵματος *Aspersio sanguinis Jesu Christi*. Hebr. XII. 24. *Vos accessistis ad sanguinem asperfusionis meliora loquentem præ Abele.* Alius sanguis non ita solenniter sparsus, ac dictus in sanctissimo. Hic quoque optima bona locutus erat, dederatque Israeli fideli. Quare singulariter intelligendus is est. Hebr. XIII. 12. *Jesus ut sanctificaret populum διὰ τῆς ἰδίας αἵματος per proprium sanguinem extra portam passus est.* Conf. IX. 13. 14. Specialius notat animam Christi; Hostia scilicet tota retulerat totum Christum, constantem corpore & anima. Quando hostia mactabatur, corpus adeoque à sanguine separabatur picturam habemus separationis corporis & animæ Christi. Cadaver hostiæ aliter tractabatur ac sanguis ejus. Illud non ferebatur in sanctissimum, exportabatur extra castra ac ibi comburebatur Levit. XVI. 27. Solus sanguis in adytum erat illatus. Alia fata memorantur corporis & animæ Christi. Illud hasta laceratum, à cruce ablatum, sepulchro ac statui mortis erat commissum. At anima corpore relicto paradysum sive cœlum intraverat, eratque singulariter in manu Dei, uti constat ex historia evangelica Luc. XXIII. 43. 46. 53. 60. Unde in sacris ceu phrases æquipollentes occurrunt, *sanguinem effundere pro peccatoribus* Matth. XXVI. 28. 1. Pet. I. 18. 19. Eph. I. 7. & dein *animam dare* v. Matth. XX. 28. Joh. XX. 12. 18. Conf. Jes. LIII. 10. Sine dubio Christi anima pars excellentior erat quoque typice depingenda. Typus convenientior animæ, si sanguinem excipis, non datur. Huc apprime facit Lev. XVII. 12. נפש *anima carnis est in sanguine*, sanguine deficiente deficit vita corporis. Commode huc faciunt verba Abarb. in Comment. ad Lev. XVII. 11. pag. 254. c. 2. m. והנה צוה שעל המזבח יקריב אדם את קרבנו ויהיה גוף הבהמה ובשרו תחת גופו ובשרו על הנעל המקריב ויהיה דם הבהמה מפאת הנפש החיונית הנשראה בה תחת

תחת נפש האדם נפש תחת נפש כי לא יוכל אדם להקריב דבר
 Ecce mandatum est homini
 datum, ut offerat oblationem suam in ara sitque corpus animalis & caro
 ejus loco corporis & carnis ejus, cujus est offerre; At sanguis bestia prop-
 ter animam vivam que in eo loco animæ hominis; Anima ergo pro ani-
 ma. Nequit enim homo quidquam palpabile, quod ita respondet animæ,
 offerre. si sanguinem excipis. Quæritur

§. 617. Vigesimo sexto: Quodnam *Mysterium sanguinis sparsioni,*
eique octava vice repetita, semel supra propitiatorium, septies coram eo à
parte orientali arca in sanctissimo insit. Resp. Quæstio constat V. mem-
 bris. Ad singula respondebimus. *Primo ad primum.* Sanguinis sparsio
 sistit mortem Christi vicariam præsentatam, ut vis ejus vergeret ad
 reconciliationem sancti Dei & remissionem peccatorum, sicuti ex
 Q. XXV. clare fluit. *Dein ad secundum.* Unica sparsio, quæ supra
 propitiatorium, quod quoque sanguis tetigerat, ac sparsionibus re-
 liquis præcesserat, sistit lytrum animæ Christi Deo judici semel præ-
 sentatum, quod statim acceptum, in æternum validum, quodque
 ἱλασμός pro peccatis totius mundi est, declaratum. Paulus hinc
 Rom. III. 25. *Deus proposuit Jesum Christum ἱλαστήριον in sanguine suo*
 (typicum hilasterium aspergebatur sanguine bestia; At antitypi-
 cum sanguine Christi proprio) *ad demonstrationem justitiæ propter re-*
missionem peccatorum antefactorum sub V. Testamento non solum in po-
sterum faciendorum. Unica hæc superior sparsio fundamentum
 sparsionum inferiorum vel applicationis fructuum mortis Christi ad
 salutem peccatorum. *Insuper ad tertium.* Septem hæc inferiores spar-
 siones sanguinis, qui in pavementum delapsus erat, sistunt præco-
 nium mortis Christi & meritorum ejus gratiosissimum perfectissi-
 mum per omnes Ecclesiæ periodos, peccatoribus faciendum in ter-
 ris. *Præterea ad quartum.* Sparsio facta conversa Pontificis facie ad
 Deum docet παρηγοσίαν Pontificis Jesu Christi, qui ipse animam su-
 am judici Deo proposuerat pro vita hominum accipiendam. *Ulti-*
mo ad quintum. Sanctissimum sistit cælum summum, Dei judicis
 palatium, vel, ut exstat, Hebr. IX. 24. *Jesus Christus cum sanguine*
suo in cælum ipsum intravit ad apparendum nunc in conspectu
Dei pro nobis. Quæritur

§. 618. Vigesimo septimo: *An sparsiones memoratæ referant Pon-*
tificem Jesum Christum sedentem in throno Majestatis ac intercedentem pro
 homi-

hominibus? Resp. Minime. Sparfiones enim hæ factæ sunt à Pontifice stante, viliores vestes gestante, ante dimissionem hirci vivi. Vid. quoque *Quest. XXIII.* Occurrit Sponsor, qui præsentata morte sua vicaria gratiam iudicis pro peccatoribus petit. Antitypus ergo quærendus in Christo statim post mortem ante exaltationem coram Deo comparente *Luc. XXIII. 43. 46.* Quæritur

§. 619. Vigesimo octavo: *Quid mystice significet effectus Levit. XVI. 16. Et expiet ita sanctum illud ab immunditiis Filiorum Israel & a defectibus eorum, ab omnibus peccatis eorum?* Resp. Mysterium hoc ex dictis patet. Præsentatus sanguis Christi statim Deum cum hominibus reconciliavit. *Hostes existentes reconciliati sumus cum Deo per mortem Filii Dei. Rom. V. 10. Deus erat in Christo mundum sibi ipsi reconcilians, non imputans iis peccata eorum. 2. Cor. V. 19. In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Christus ita factus est ἱλασμός pro peccatis totius mundi 1. Joh. II. 2. cujuscunque speciei & gradus, Filii Israel certi sunt de remissione omnium peccatorum in ipso coelo facta.* Quæritur

§. 620. Vigesimo nono: *Quis antitypus verborum. Lev. XVI. 16. b. Et sic faciet tentorio conventus habitanti cum illis in medio immunditiarum eorum. V. Exeg. 269 - 278.* Resp. Quemadmodum sanctissimum coelum, sic sanctum Ecclesiam, spirituale tentorium Dei, quod inhabitat *1. Cor. VI. 9. 2. Cor. VI. 16.* refert. Est & hoc impurum coram oculis Dei. *1. Joh. I. 7. II. 1.* Unde indiget sanguine Christi, quo expiatur purgaturque. Fit vero hæc expiatio & purgatio in Ecclesia, quemadmodum in coelo. Unica sparsione superiori confirmabatur valor æternus sanguinis Jesu Christi effusi. Confirmabatur ejus applicatio per omnes Ecclesie Periodos septem aliis inferioribus sparsionibus. Mysterium sparsionum contra velum ex Decreto Ecclesie Judaicæ faciendarum ideo omittimus, quod constitutiones humanæ significatione spirituali careant. Quæritur

§. 621. Trigesimo de mysterio verborum *v. 17. Ullus autem homo non erit in tentorio Conventus, quando ille intrat ad expiandum in sancto, usque dum is exit & expiaverit pro se & pro domo sua & pro toto Israel.* vid. *Exeg. §. 278 - 285.* Resp. Lex hæc manifestat unicum nonnisi esse Mediatorem Deum inter & homines, qui se dedit Ἀντίλυτρον pro omnibus *1. Tim. II. 5. 6.* Ex posteris Adami nullum
 pror-

prorsus esse, qui כפר redemptionis pretium solvere queat. *Frater redimendo non redimet virum; Non dabit Deo כפרו expiationem ejus. Pretiosius namque est פרוניו pretium redemptionis anime eorum.* Psal. XLIX. 8. 9. Non in cœlo ipso, non etiam in Ecclesia dari, qui peccatores expiet, reconcilietque cum Deo, imo nequidem, qui Mysterium Expiationis introsperit, nec qui queat dirigere. Omnes Adami posteros extra stare & supplices gratiam & misericordiam per Pontificem Jesum quærere, exspectare; Consilium pacis nonnisi esse כהן שניה בין inter duos, Jehovah & verum Pontificem, Angelum interpretem, qui redemptionem Jehovahæ præsentaverat. Quare hic dixerat; *Redime illum, quo minus in foveam descendat. Inveni (enim) כפר לטרונו redemptionis (suæ).* Pontifex Aharonicus erat homo, qui quidem typice expiaverat in sanctissimo & sancto, quique ceu peccator indiguerat expiatione pro se, sed qui repræsentaverat verum Pontificem θεανθρωπον sanctum, à peccatoribus separatum, cui aliter non necessaria erat redemptio, quam ut absolvatur à peccatis generis humani ipsi injectis, sanguine suo pretioso fuso. Notandum etiam singulariter introitum nonnisi prohiberi usque ad factam expiationem. Hac vero facta liberum fuisse aditum ad Deum. v. Eph. II. 13. *Nunc vero vos in Christo Jesu, qui aliquando eratis procul, propinqui facti estis in sanguine Jesu Christi.* Conf. III. 12. Rom. V. 1. 2. Col. 1. 21. Hebr. X. 19. 20. IV. 14. 16. Quæritur

§. 622. Trigesimo primo: *Quæ sit ratio antitypica altaris suffitus expiandi, purgandi, sanctificandi & quidem factis jam sparsionibus in sanctissimo & in sancto, dando sanguinem super quatuor ejus cornua, septies spargendo.* v. Lev. XVI. 18. 19. Resp. Deo per unicum sacrificium Jesu Christi plene reconciliato, Ecclesiæ gratiam eapropter per omnia off. rri & dari secula; Speciatim optimum, quem testamur, cultum, preces ipsius indigere expiatione, purificatione, sanctificatione, ceu quæ magnam partem constant deprecationibus plurimorum, variorum, graviorum peccatorum, quæ quoque aliis laborant defectibus & infirmitatibus. Ceremoniis his vero sistitur, promittitur, datur reatus ablatio, sordium purgatio, sanctitatis donatio, virtute sanguinis Christi per omnes quatuor mundi plagas, omni loco & omni tempore. Hinc fideles spem habent cultum non fore irritum, detestabilem, quin gratia Jesu Christi gratum acceptumque, infirmum licet. Quæritur

§. 623. Tricesimo secundo : *Quid significet ordo, juxta quem hircus vivus non prius adducendus, ut dimittatur, quam absoluta sanctissimi, sancti & altaris suffitus expiatione v. 20. Resp. Circumstantia hæc maximopere est tenenda. Nam clare docet statum vitæ & libertatis hirci vivi à morte focii & vi expiationis factæ esse arcessendum, ut cognoscamus statum exaltationis vitæ & libertatis Jesu Christi esse fundatum in morte ejus & hinc facta reconciliatione Phil. II. 6 - 12. Luc. XXIV. 26. Antea morti tradendus propter peccata, postea ad vitam excitandus, ut justi declaremur Rom. IV. 25. Imperfectio, quæ typis inesse solet, non permiserat, ut idem occisus hircus ad vitam resuscitaretur. Nihilominus statuit sapientissimus legislator, ut ab initio ambo hirci piaculares essent pro populo, alter non solum mortem pro populo obiret sed & morte sua expiaret focium, liberaretque à reatu prius adjudicato & hinc morte. Quare præstitis omnibus præstandis alter hircus *vivus* coram Deo manserat constitutus, ut cum solennitatibus libertati redderetur. At ob summam perfectionem, quæ in antitypo, idem, qui mortuus, qui Deum glorificavit, nos sanctificavit, revixerat, ut in æternum gloriose viveret. Quæritur*

§. 624. Tricesimo tertio : *Annon huic mysterio contrarientur, quæ sequuntur v. 21. scil. χεῖροθεσία, confessio peccatorum, impositio peccatorum in caput hirci hujus. Si vero non contrariantur, quodnam ceremoniarum harum Mysterium ? Resp. Quoad primum. Non contrariantur. Utique si secuta fuisset hujus hirci mors ex sententia Dei Mysterium, quod significatum est, nullum. At manserat vivus, notanter dicitur חיה *vivus ille*, dimittebaturque in libertatē. Si peccata hirci huic, ut hostiæ piaculari fuissent imposita, certo maledictioni & morti traditus fuisset. Quoad secundum : Peccata itaque vi oppositionis erant capiti hirci *vivi* imposita, ut, ceu jam expiatus, & absque vi maledictionis auferret extra conspectum Dei. Quare v. 22. legitur : *Portabit hircus hic supra se omnes perversitates eorum ad terram excisionis. Non luendum ipsi pro peccatis impositis ; Non nisi ferenda erant ad terram excisionis, in qua nulla eorum recordatio. v. Exeges. §. 341 - 367. Quæritur**

§. 625. Trigesimo quarto : *Quid notet Azazel, ad quem hircus vivus deductus v. 26. Desertum v. 21. 22. Terra excisionis v. 22. Resp. συνάφεια typi postulat, ut intelligam Christum redivivum, gregi red-*
ditum

ditum esse, vivere cum grege & hunc certum facere de omnimoda remissione peccatorum, nullam eorum esse memoriam. v. *Myst.* Quæst. XXXIII. Quæritur

§. 626. Tricesimo quinto : *Quem referat vir opportuni temporis, hirci dux v. 21. ? Resp.* Non clare liquet. Existimaveram quidem significari ipsum Sponsorem v. *Exeg. Por. VIII. §. 367.* Sed nunc cogitata hæc non placent. Videtur contrariari elegantiae picturæ divinæ. Hircus ipse sistit Christum. Ergo dux aliud quid. Dein vir hic adstringitur ad lotionem, qua Christus non indiget v. 26. Incidit nunc annon rectius intelligamus *Ministros Evangelii*, qui se viros gerunt, qui prædicant Christum, maxime redivivum, in plena libertate & gloria, idque *temporibus opportunis propriis* 1. Tim. II. 6. & qui ob infirmitates & peccata sua commiseratione Dei indigent, ut purgentur. Quæritur

§. 627. Tricesimo sexto : *Quodnam Mysterium v. 23. Et intrabit Aharon in tentorium Conventus ac exuet vestes lineas, quas induerat, quando intraverat in sanctum illud, & relinquet eas ibi ? Resp.* Christus opere salutis per Passiones peracto & excitatus in æternum relinquit statum exinanitionis, ceu vestem vilem deponit, induit vero gloriam æternam ac in throno Majestatis in coelis sedet. v. *Exeg. §. 377.* Quæritur

§. 628. Tricesimo septimo : *Quæ δήλωσις πνευματικῆ v. 24. b. Lavabit quoque carnem suam aquis in loco sancto & postea induet vestes suas ? Resp.* Consummato Ministerio expiationis Aharon lavando carnem suam Pontificem verum glorificatum proprie referre nequit. Semper purissimus lotionem haud indiguerat. Qui in coelo purificat, ipse impurus non est. Talia luculento testantur de imperfectione Pontificatus Aharonici v. *Exeg. §. 378. p. 6.* Porisma vero 4. ex numero observationum moralium potius est, quam vere typicarum. v. *ibi Notam in fine §. cit.* Quæritur

§. 629. Tricesimo octavo : *An & quis sensus mysticus lateat in verbis Lev. XVI. 24. Ex hinc prodibit & faciet Holocaustum suum & Holocaustum populi & expiabit pro se & pro populo. Vid. Exeg. §. 278 - 285. Resp.* Est mysticus ex generalibus, quæ præmissa sunt, argumentis. Ipsum vero Mysterium non ita clarum, maxime hac ex causa, quod expiatione per sanguinem juvenci & hirci jam facta

denuo alia memoretur. Ἡτλημα expiationis typicæ, quæ toties repetenda, docetur. Holocaustum Pontificis sistit Filium Dei Pontificem peracto opere redemptionis integrum, lætum, sacrum gloriæ Patris & saluti peccatorum. *Vivit nonnisi Deo Rom VIII. 10.* Est Holocaustum vivum. Holocaustum vero populi repræsentat redemptos *Deo in Christo Jesu Domino nostro vivos. Rom. VIII. 11.* *Exhibentes corpora hostiam vivam, sanctam, gratam Deo. Rom. XII. 1.* Quibus Holocaustis expiatio semel facta confirmatur ac applicatur. Quæritur

§. 630. Tricesimo nono : De Mysterio verborum v. 25. *Adipem hujus sacrificii pro peccato incendet in ara. v. Exeg. §. 386 - 390.* Resp. Non una est mens. Explicatur de intensissima & constantissima Salvatoris jam consummati voluntate servandi suos, qua ipse vim meriti sui electis applicans indefinenter pro iisdem intercedit. Ratio hæc datur, quod oblatio vel incensio sequatur sparsionem sanguinis in sanctissimo, id est, repræsentationem Spiritus Christi humani & meriti jam impetrati. Dubito, num stringat hæc ratio ex ordine sumta. Obstare videtur combustio cadaverum v. 27. incensione adipis adhuc posterior, quæ tamen adhuc demonstrationem justitiæ Dei contra peccata sistit. Quare & mactatio & sparsio & incensio adipis & combustio cadaverum concurrunt ad expiationem peccatorum. Male itaque adipem comburendum explicari de affectibus carnalibus vi fervoris divini consumendis. Vid. *Ainsworth in in Lev. III. 9. & Exeg. §. 390.* Quæritur.

§. 631. Quadragesimo : De sensu spirituali Legis v. 27. *Juvenum vero sacrificii illius pro peccato & hircum quoque sacrificii illius pro peccato, quorum sanguis illatus fuit ad expiandum in sancto, educat extra castra & comburent igne pelles eorum & carnem eorum ac finum eorum. v. Exeg. §. 398 - 406.* Qui clare aperitur *Hebr. XIII. 11.* *Quorum animalium pro peccato sanguis per Pontificem in sancta illatus erat, illorum corpora comburebantur extra castra; Διὸ ἰдео & Jesus, ut sanctificaret populum proprio sanguine ἐξω τῆς πόλης extra portam passus est.* Plura in porismatibus ad h. v. in *Exeg. §. 406.*

§. 632. Quadragesimo primo: Quodnam durationis hujus expiationis Mysterium : *Et erit vobis statutum seculare. v. 29.* Resp. Uti Aharonica expiatio durabat per seculum œconomix Mosaicæ tandem

dem finiendæ ; Sic vera Pontificis Filii Dei per œconomiam regni ejus nunquam finiendi. Est enim sanguis Jesu Christi, quo *Testamentum absolute æternum* corroboratum est. Hebr. XIII. 20.

Quæritur

§. 633. Quadragesimo secundo de *Mysterio temporis hujus solennis expiationis, quod incidit in unicam diem & quidem decimam in initio anni politici mensis Tisri, quodnam illud sit.* Lev. XVI. 29. Exod. XXX. 10. Lev. XXIII. 27. XXV. 9. Num. XXIX. 7. Curatissime ergo hoc tempus definitum erat. Quare hic dies notanter audit dies **כַּפֹּרִית** prorsus insignium *illarum expiationum & penes Judæos κατ' ἐξοχήν יומא* dies. Resp. *Mysterium unice Diei* satis clarum est & docet, unica die peccata esse *ἐν δυνάμει* tollenda. Quo recte refertur promissio Zach. III. 9. *Removebo iniquitatem terræ hujus ביום אחד die uno.* Quo tempore cruci affixus, sanguis in sanctissimo illatus, opus reconciliationis substantialiter consummabatur 2. Cor. V. 19. 21. *Jesu per proprium sanguinem in sancta intravit αἰωνίαν λύτρωσιν ἐυρόμενος æternam redemptionem inveniens* Hebr. IX. 12. Unde morti proximus exclamaverat: *Consummatum est* Joh. XIX. 30. *Profecto dies judicii & gratiæ, si quis unquam illustris. Pater filio non pepercit, ut parceret peccatoribus.*

§. 634. Non ita clarum *Mysterium diei decimæ in initio novi anni.* Accommodatius non habeo, quam quod indicetur reconciliatio generis humani ab initio novæ œconomix Messianæ, pauco interjecto tempore facta. *Decem* accipio pro tempore exiguo, ut Gen. XXIV. 55. Amos. V. 3. VI. 9. Apoc. II. 10. *Afflictio decem dierum, quæ cito transit.* Ex quo œconomia Messix illucescere incepit scil. à diebus Johannis usque ad mortem Jesu Christi decem dies sive exiguum interlapsum est tempus, **ימי תשובה** *dies resipiscentiæ* in quibus Johannes & Christus resipiscentiam prædicarunt, quales, testantibus Judæis, intercurrebant inter initium anni & solennitatem expiationis. Quæritur

§. 635. Quadragesimo tertio de sensu spirituali officiorum; *Affligetis animas vestras & nullum opus facietis.* Lev. XVI. 29. quæ semel ac iterum repetuntur. Resp. Docet clarissime, non alios spem habere remissionis peccatorum gratiosæ, quam poenitentes, fideles, cultui divino vacantes v. Jes. I. 16 - 19. Luc. XXIV. 47. Act. II. 38. XIII. 39. Heb. V. 9. Quæritur

§. 636. Quadragesimo quarto de mysterio Legis : *Indigena & peregrinus, qui peregrinatur in medio vestrum* Lev. XVI. 29. Resp, Omnes resipiscentes, credentes, obedientes, Deum colentes non solum ex Judæis, sed & Gentibus actu participare de reconciliatione & remissione peccatorum 2. Cor. V. 19. Act. X. 34. 35. Rom. III. 22. X. 12. Peregrinus, qui resipiscit, credit, veniam peccatorum accipit. Non item irresipiscens, infidelis, hypocrita, licet sit Pontifex, imo licet Apostolus, ut Judas.

§. 637. Mysterium, quod Lev. XVI. 30. clarum est ex *Exeg.* vid. §. 444. vid. quoque supra *Quæst.* XXVIII. §. 629.

§. 638. Mysterium, quod spectat Lev. XVI. 31. 32. vid. in *Exeg.* §. 465.

§. 639. Vide quoque Mysterium in *Exegesi* §. 473.

§. 640. Quandoquidem mysteria ex Legibus Exod. XXX. 10. & Lev. XXIII. 26 - 34. jam notata sunt ad Lev. XVI. hic superfedeo. Quæritur

§. 641. Quadragesimo quinto de mysterio Lev. XXV. 9. 10. *Et facies, ut personet buccina clangoris fracti in mense septimo (die) decima mensis, in die (insignium) illarum expiationum facta, ut personet buccina per totam terram vestram. Et sanctificabitis annum quinquagesimum & proclamabitis libertatem in terra omnibus inhabitatoribus ejus. Jubileum hoc erit vobis & redibitis quisque ad possessionem suam & quisque ad familiam suam revertemini.* Sequens videtur fundamentum hujus solennitatis. Datur quidem expiatio annua peccatorum totius populi Dei, cujus per omnes dies Novi Testam. participes evadent omnes resipiscentes, credentes in Deo quiescentes. Attamen expectandum est tempus illustrius ipsis ultimis felicibus N. T. diebus posterius (quippe Jubilæum immediate celebrandum post septimum Sabbatismum) ac longe lætius, quod primo voce jubila ex sententia synedrii superioris, dein omnium communi per totam terram sonabit, plenissima gratia omnibus sine discrimine nationis conferenda, tollenda, quæ adhuc supererat, inæqualitate divitum, pauperum, herorum, fervorum, testato mutuo erga omnes effusissimo amore, servis in plenam missis libertatem, restituta possessione v. *Exeg.* à §. 518 - 537. maxime porismata in §. 538. Quæritur

§. 642.

§. 642. Quadragesimo sexto de sensu mystico Legis plenioris Num. XXIX. 7 - 12. Quorum *δέλασις πνευματική* jam supra est significata, eam nunc mitto. Hircus ille piacularis *Jehovæ* Lev. XVI. 9. est omnium præcipuum sacrificium, referens Christum manifestatum in similitudine carnis peccati, veram hostiam, qua peccata mundi erant expiata. Reliqua hujus diei sacra integra, plurimum Holocausta, ex pecore bovino, arietino, ovino cum fertis, oleo, thure sale, libaminibus proportionatis, ceu *מוספין* *addiditia*, sistunt Christum in fidelibus, liberis à peccatis malitiæ, sinceris, omnium classium, pastoralis, politicæ, gregariæ, ardenti amore, in Spiritu S. precibus, moribus & juxta mensuram *χαρισμάτων*, quam quisque habet, verbis bene falsis se totum tradere, paratumque esse, ut sit patri gratus cibus, potusque usque ad mortem, quo ita passiones in propria carne latæ per passiones in carne fidelium suppleantur, sintque patri *εἰς εὐωδίαν*. Fideles omnium ordinum & Sacerdotes & sacrificia spiritualia esse liquet ex 1. Pet. II. 5. 9. Psalm LI. 19. Speciatim Holocausta Rom. XII. 1. Ferta Pfal. CXXI. 2. Malach. I. 11. in Epist. Judæ v. 20. 2. Cor. II. 15. 16. Rom. XV. 16. Marc. IX. 47. 50. Libamina 2. Tim. IV. 6.

§. 643. His præmissis tuto pede progredimur ad comparationes typum inter & antitypum in illustri, quod tractamus, themate. Comparationes hæ hunc habent usum, ut in brevi *συνόψει* ab uno latere divinam *Στοιάν*, ab altero depictam *Ἀλήθειαν* oculis lustrare queamus. Quo vero labore ita defungar, ut primo generalem comparationis Tabellam, tum speciales sim prolaturus. Hisce subjungam differentias notabiles typum inter & antitypum, quo anima fidelis non Judæorum infidelium more pictura nimium capiatur, utpote qui personam divinam cum bonis spiritualibus depictam nullo aut vix ullo habent loco.